

**De trichomate : dissertatio inauguralis ... / auctor Josephus Littauer.**

**Contributors**

Littauer, Josef.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1833.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/brrru5v5>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

322. DE 40  
**TRICHOMATE.**

         *N. A. 431*  
**DISSERTATIO**

**INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**RATIOSE MEDICORUM ORDINIS**

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

**FRIDERICA GUILIELMA**

UT SUMMI

**MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

*ME XXI. MENS. SEPTEMBR. A. MDCCCXXXIII.*

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

**JOSEPHUS LITTAUER**


LOBSENTIENSIS.

**OPPONENTIBUS:**

**W. S. WOLF, MED. ET CHIR. CAND.**

**N. GUTTMANN, MED. ET CHIR. CAND.**

**F. SACHS, REFER. DE REB. IURIDIC.**



---

**BEROLINI,**

TYPIS NIETACKIANIS.

*A 22  
Tit - Mal*

THE CHRONICLE

1841 A

DECEMBER

THE CHRONICLE

THE CHRONICLE

THE CHRONICLE

THE CHRONICLE



THE CHRONICLE

THE CHRONICLE

THE CHRONICLE

THE CHRONICLE

THE CHRONICLE

V I R O

NOBILISSIMO, DOCTISSIMO

EXPERIENTISSIMO

***E. A B H A B E R,***

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO BEROLINENSI,

FAUTORI SUMME COLENDO

H A S C E  
L I T E R A R U M P R I M I T I A S

D. D. D.

AUCTOR.

## P R O O E M I U M.

---

**A**ccommodatum huic scriptioni argumentum meditati, cum talis potissimum materia eligenda videretur, quae aliquam novitatis commendationem haberet, neque a multis jam ad satietatem usque tractata esset, prae ceteris placuit in ejus morbi, quem titulus indicat, naturam et historiam inquirere, non quod novam quandam difficillimae huic disquisitioni lucem accendere me posse considerem, sed quia largior mihi sorte mea et hujus morbi observandi et summorum praestantissimorumque medicorum de eo judicia, perinde rationis subtilitate atque experientiae ususque varietate satis stabilita saepius audiendi copia facta est. Quare ut exiguum aliquod fructus inde percepti documentum ederem, e re fore judicavi, si unam de pluribus observationibus ad calcem libelli adjiciendam curaverim. Qua in re tantum abest, ut mihi aliquid arrogem, ut doctos benevolosque lectores etiam atque etiam rogatos velim, ne juveni veniam dene-

gent, meque persuasum habeant, difficultatum quidem in hac re exantlandarum non ignarum fuisse, sed in digna aequis iudicibus materia pervolitari et ipsorum et mea causa maluisse.

---

§. 1.

Morbi definitio.

Inter varias plicae Polonicae — qui morbus in interioribus Poloniae partibus, maxime propter Vistulae rivorum viciniam endemicus est — definitiones, haec maxime mihi prae ceteris probatur, qua nihil, nisi systematis nervosi et reproductivi affectio (1) quaedam habetur hoc imprimis symptomate dignoscenda, quod per modum criseos (2) materia aliqua lymphatica, viscida ex pilosis praecipue capitis partibus exsudet, capillorum illa conglutinationis, varias formas exhibentis, causa.

§. 2.

Diversa ejusdem morbi nomina.

Praeter morbi nomen supra allatum et a plerisque medicis receptum alia apud alios scriptores nomina occurrunt, vel ab illius causis ac forma vel a crinium conglutinatione vel ab ejus sede deprompta.

---

(1) Jos. Frank: Praxeos medicae universae praecepta. Lipsiae 1815.

(2) Leop. Lafontaine: Chirurgisch - medicinische Abhandlungen. Warschau 1792.

Quorum notissima haec fere sunt: Apud Latinos morbus noster audit: *Trichoma*, *Capillitium intricatum*, *Tricae incuborum*, morbus cirrorum, *helotides*, *Lues pocutiensis*, *Lues sarmatica*, *Cirragra*, *Coma caesarea*, *Plica caput medusae*, *Plica longicauda lateralis*; *Plica cespitosa*; *Contorsiones pilorum seu Cini*; *Plicagra*, *Mentagra*, *Sterno-gra*, *Pudendagra*, *Lues unguium*.

Poloni ipsi hunc morbum his nominibus designant: *Gos'ciec*; *Gwoz'dziec*; *Kottun*; — Germani vero his: *Wichtelzopf*, *Judenzopf*, *Wixelzopf*, *Weichselzopf*, *Mehrenflechte*, *Marenflechte*, *Marenlocke*, *Wirblock*, *Marienwirkung*, *Schrottlingszopf*.

### §. 3.

#### Morbi historia.

Scriptores (1) rerum Polonicarum, Tartaros, cum Poloniam, sub rege Leszko nigro, circa finem saeculi decimi tertii crebris incursionibus vexarent, hunc morbum illuc intulisse memoriae prodiderunt. Addunt praeterea, omnes aquas dulces ab hac gente barbara corporibus putrescentibus

---

(1) Solignac: *Historia Poloniae*. Hal. 1763.  
 Joachim Pastorius ab Hirtenberg: *Flos Polonicus*. Lib. II. Cap. III.  
 Duglossi: *Historia Polon.* Lips. 1711. Tom. VII. p. 849 — 860.  
 Crome: *De origine et rebus gestis Polon.* Basil. 1558. p. 263.



et aliis rebus virulentis contaminatas fuisse; indeque factum esse, ut qui hanc aquam bibissent, ex templo trichomate corripentur. Id vero cum ad morbi naturam interior cognoscendam parvi momenti sit, obiter attigisse suffecerit. Hoc teneamus morbum, de quo loquimur, exinde inter Polonos magis in dies radices egisse latiusque vagatum esse et crescente post commercio societate inter eos finitimasque nationes, saeculo decimo sexto Austriam, Bohemiam, ipsamque Silesiam (1) invasisse. Aliberto (2) teste in Gallia quoque, etiamsi rarius multo quam in Slavicae originis gentibus, trichoma passim reperitur.

#### §. 4.

#### Morbi divisio.

Ex viis, quas docti scriptores, ut inter varia hujus morbi discernent, inierunt, minime probanda est, maximeque a praxeos utilitate abhorret eorum sententia, qui externam morbi formam sequuntur; majorem ea praebet utilitatem, quae trichomatibus aut originem aut eruptionis naturam vel reconditam vel apertam spectat; et omnibus tamen anteponenda est divisio trichomatibus in simplex et complicatum, in apyreticum et pyreticum, in verum et spurium, in maturum denique et immaturum.

---

(1) Sommerberg in descriptionibus rerum Silesiacarum. Vol. 1. p. 320.

(2) Alibert: Description des maladies de la peau. Lib. 2. Paris 1806.

## §. 5.

## Stadia morbi.

Cum plicae eruptionem ingens plerumque numerus symptomatum, tum systematis reproductivi tum nervosi affectiones designantium, vel antegredia-  
tur vel comitetur, propositum est, ab iis initium  
facere, quae in stadio prodromorum sive uni-  
versali observantur et his expositis ad ea, quae  
in stadio eruptionis sive topico se produnt,  
pergere.

## §. 6.

## Stadium prodromorum.

Quum libelli hujus consilium ipsum, quominus  
omnia symptomata a scriptoribus notata, non so-  
lum pro vi formaque sua varia ac multiplicia, sed  
etiam pro aegrotantium natura ac habitu in singulis  
diversa, hic enumerentur prohibeat, in iis solis ac-  
quiescendum esse judicavi, quae constantiora et ad  
rei naturam eruendam plus faciant et certam fere  
plicae mox erupturae diagnosin praebeant. Sunt  
vero haec: artuum lassitudo, dolores migrantes,  
imprimis in extremitatibus inferioribus, rheumaticis  
haud dissimiles; quibus accedit digestio laesa, cibo-  
rum appetitus deficiens, ructus, sapor ingratus, in-  
terdum pica; potuum spirituosorum, imprimis spi-  
ritus frumenti, cupiditas flagrans, alvi obstructio;  
cephalalgia, hemicrania; sensus quasi vacui capi-  
tis — dum alii de frigore quodam integumentorum  
capitis queruntur — vertigo, dolor nervi faciei,

photophobia, photopsia, sensus plenitudinis et pressus oculorum, quasi grana arenosa in iis insint, acies oculorum diminuta, cataracta, et alia organi visus vitia; praeterea aurium susurrus et tinnitus, interdum surditas ipsa, gustus, imprimis vero olfactus absens; catarrhus chronicus a phthisi non multum diversus, halitus foetens, dentes carioli, cordis palpitatio, pulsus debilis; tunc sensus formicationis in toto corpore, imprimis in extremitatibus inferioribus et secundum spinam vertebrarum; urina turbida nunc copiosa nunc parca, sedimento lateritio rarius puriformi praedita; sudores specificè olentes; menstruorum vel haemorrhoidum fluxus irregulares vel suppressi; impetigines variae, melancholia, mania, convulsiones, paralysis variarum corporis partium.

Haec pathemata per hebdomades, menses, quin etiam per plures annos perseverare aegrotumque acerrimis doloribus afficere solent, et quo propius ipsa eruptio accedit, eo magis augentur haec symptomata, congestionibus caput versus praevalentibus, donec insequens erumpat stadium.

### §. 7.

#### Stadium eruptionis.

Lentius alios, alios subito ac repente hic morbus cum symptomatibus febrilibus ingruit; plerisque vero post magnum et violentum corporis motum, post febrem intermittentem, post partum editum atque vehementes animi affectiones, et socios habet acerrimos capitis dolores, transpirationemque

male olentem. Jam ex pilosis capitis, imprimis occipitis, partibus materia profluit lymphatica et glutinosa, odorem quendam peculiarem diffundens; qua materia primo capilli, capitis tegumentis proximi molliuntur, dein conspissantur et conglutinantur; postea medii quoque et extremi omnesque res (1), quae forte eos attingant, obducuntur et in fasciculum nulla arte dissolvendum coalescunt.

### §. 8.

#### De plica sicca et humida.

Quamdiu exsudatio fit, plica appellatur humida, exsudatione peracta siccae nomine significatur. E quorundam scriptorum sententia eam plicam siccam vocamus, cum nulla exsudatione praegressa capilli crispantur; quod verum sit nec ne non ausim affirmare. Multo facilius cum hac plica confundi posset plica spuria, quam non nisi ex nimia immunditie proficisci et nihil cum statu morbo communi habere facile cognoscitur.

### §. 9.

#### De plicae longitudine, pondere atque forma.

Longitudinis et ponderis plicae eo major modus est, quo et exsudatio diutior est, et capillorum copia major. A Jos. Frankio saltem pon-

---

(1) Exemplum tradit Jos. Frank viri, cujus mitra cum plica coaluerat.

pus plicarum ab unciis quatuor ad tres libras augeri perhibetur.

Plicae forma varia est atque ex eo pendet, quantum superficiei capitis ab exsudatione obruatur, quanta sit ipsa exsudatio et quam celeriter effecta. Itaque tum in longitudinem cum singulis aut pluribus fascibus tum in latitudinem extensa, majorem minoremve capitis partem obtegens plica conspicitur.

### §. 10.

#### De plica matura et immatura.

Jam eorum quae post eruptam plicam sequuntur duplex est ratio: Nam aut

1) omnes priores affectiones universales finiuntur, diminuitur exsudatio vel omnino conquiescit; crescentibus capillis sanis plica magis magisque a capitis tegumentis recedit — quam plicam mataram vocamus. Quo facto aegrotus plane convalescit; — aut

2) remissio tantum symptomatum fit; quae tamen eo magis crescunt, quo propior redintegrata morbi eruptio imminet. Tum vero, cum repetitis plicae eruptionibus recentes semper aegrotum invadunt morbi, universus organismus percutitur, et in omnibus fere corporis organis magnae cernuntur perturbationes. Primo ungues, id quod interdum etiam prius fit, in longitudinem, latitudinem et crassitudinem ita crescunt, ut formam induant nodosam et verrucosam. Oriuntur glandularum intumescen-tiae, indurationes scirrhosae, ulcera depascentia car-

cinomatosis simillima, adeo carcinoma, caries, phthisis, viscerum abdominalium suppuratio, hydrops. Quae modo memoravimus symptomata, neque minus formae acutiores, ut meningitis, encephalitis, pneumonitis, apoplexia, paralysis tum partialis tum universalis, amaurosis, surditas, quin ipsa mors via apparent metastatica, simulatque plica, exsudatione perdurante, capitis tegumentis adhaerens, dico immaturam, resecta est; idque quod, ut Haasii amplectar sententiam, resectione facta capitis tegumentum, majori jam assuefactum calori, repentino corripitur refrigerio. Contra valde ii errant, qui ipsis capillis sensibilitatem quandam et doloris quasi sensum attribuunt. Capitis vero tegumenti sensibilitas, quamdiu exsudatio manet, tanta est, ut durior quisque capillorum contactus dolorem aegroto excitet, licet non ipsis capillis; id quod periculis caute factis ipse usu edoctus sum. Itaque capillorum dolores speciosi tantum sunt; neque magis verisimilius est, quod contendunt, incisionibus in plicam factis sanguinem ex ea profluere (1).

### §. 11.

#### De proxima trichomatis causa.

Maxime scriptores de morbi causis proximis dissentiunt. Ac Synapius (2) quidem alique trichomatis originem ad contagium specificum retule-

(1) Richter: Therapia.

(2) Michaelis Synapii absurda vera seu paradoxa medica. Genev. 1647.

runt; Chromius (1) contra ad lymphæ corruptio-  
nem specificam, in capillorum bulbis hærentem,  
qua fieri censet, ut nervorum affectio et simul par-  
tium solidarum solutio diversissimis formis efficiat-  
tur. Argumentis satis probabilibus J. Frankius  
hanc sententiam defendit, multis medicis probatam,  
plicam ad lepram referendam nec nisi formam ejus  
quodammodo variatam putandam esse. Wolfra-  
mii et Larreii (2) sententia, inter plicam et sy-  
philidem aliquam cognationem esse statuens, a  
Frankio et Sprengelio cum aliis argumentis  
tum hoc potissimum refellitur, quod plica jam plus  
ducentis annis ante syphilidem exstisset et quod  
hydrargyrum, remedium contra hanc specificum, il-  
lam mirum quantum augeat. Aequè reprehendenda  
est sententia eorum, qui plicam ex arthritide ano-  
mala prodire censent, cum illa ne infantulis qui-  
dem foetuique parcat, neque ipsa animalia ab hoc  
morbo secunda sint, — quod utrumque in arthritide  
nunquam fere locum habet. — Lafontanius (3)  
materiam plicosam ad crisin producendam ex hu-  
morum substantia judicat esse secretam. Haasius (4)  
denique morbi originem e tegumentorum capitis  
statu inflammatorio deducit.

---

(1) Thom. Eman. Chromy, Edler v. Rhum-  
feld: Neueste Ansicht d. Weichselzopfs. Freib. 1813.

(2) Larrey: Ueb. d. Weichselz. aus dem Bülletin des  
sciences medicales etc. Par. 1808.

(3) La Fontaine l. c.

(4) Haase. Erkenntn. u. Kur d. chron. Krkhtn. Bd.  
3. Letzte Abthl. p. 337.

His sententiis inter se comparatis, accurate examinatis diligenterque perpensis hoc potissimum pro vero videtur statui posse, hunc morbum systematis reproductivi et nervosi esse affectionem, qua efficiatur, ut lymphæ alienata in capillorum bulbis resideat. Altius in morbi naturam penetrare non licuit; nec cadaverum sectionibus nec analysisibus chemicis, quod quidem operæ pretium sit, effectum est. Atque sectiones quidem eorum, qui alio quam plicæ morbo affecti obierant, nihil ex quo certum quid colligi posset suppeditarunt, nisi hoc tantis facis materiam ex flavo-rubram in capillorum bulbis accumulata. Analysis chemica instituta Alibertus primus eadem fere elementa, quæ in capillis sanis, in trichomate quoque invenit; partium vero rationem quantitativam aliquanto minorem et substantiam facilius dissolvendam reperit, quam in illis; oleum autem calcemque phosphoricam reperire non potuit.

### §. 12.

#### Causæ remotæ.

Ad causas remotas transeunti mihi hoc maxime tenendum est, quod plicæ morbus endemicus sit putandus. Quamobrem non audiendi sunt, qui causas singulares afferant, ut veterum Polonorum consuetudinem comam radendi vel mitras calidas ferendi, immunditiam, alia; cum tot hominum millia in aliis Europæ regionibus, eosdem mores sequentia, ne minimam quidem hujus morbi tentationem experiantur. Multo verisimiliora suadere videntur ii,



qui endemicam morbi causam esse probare student. In quo Haasium sequor censem non solum soli naturae, atmosphaerae conditionisque climaticae, sed etiam morum, vestitus et vivendi rationis indigenarum rationem habendam esse. Quae quamvis magis ex excitantium causarum numero sint, tamen cum prioribus conjunctae efficiunt, ut plica oriatur. In iis, quas primo loco commemoravi, causis praecipue terrae solum, plerumque palustre et lutosum, crebris inundationibus vastatum, sale fossili et, secundum Chromii testimonium, carbone aliisque fossilibus bituminosis abundans habendum est; idem efficiunt crebrae nebulae humidae, frigidae; multa pluvia, alia. Alteri causarum generi adscribenda sunt: potuum spirituosorum usus frequens; abusus carnis imprimis porcinae, piscium, haeccum; praeterea caeparum aliarumque rerum noxiarum; tecta immundissima, fumo plerumque repleta, humilia, pavimentis non contabulatis, humidis fenestrisque tam parvis aut reconditis instructa, ut solis radii vix eas penetrare possint. Accedit vivendi genus sordidissimum et immundissimum, cum pedum tegumentis carere soleant, capitis vero nimis calidis utantur, mitris scilicet magnis capiti alte insidentibus, sine ullo tempestatum distinctione.

Neque est, quod moneam, causas has singulares maximam partem ad homines infimae plebis spectare eosque propter hoc ipsum saepius illo morbo corripri solere quam nobiliores. Nec tamen hi plane ab illo tuti sunt, cum facile aliae oriantur causae, quibus ad morbum endemice grassantem

procliviores fiant, ut animi motus vehementes, ira, timor, terror, moeror, alia. A Mühlmannio Doctore nunc defuncto accepi, feminam nobilem satis robustam, non ita diu nuptam, cum prope domum incendium erupisset, vehementer percussam, intra duodecim dies plica esse correptam; vehementi autem cephalalgiae, spasticis aliisque affectionibus, quibus ex illo die laborasset, plicae eruptione facta finem esse impositum. Similes casus a Frankio observatos praetereo. Haud magis autem quam opulentia, etiam aetas, sexus, corporis constitutio, capillorum color — id quod prioribus temporibus existimatum est — a plica tueri solet.

Disceptatur inter medicos, utrum dispositio haereditaria, ut Lafontanius et Frankius malunt, morbi fons sit, an haec dispositio cum Chromio non nisi tum statuenda sit, cum procreatio in perfecta morbi evolutione facta sit. Magis tamen Chromii sententia, multis exemplis confirmata, mihi arridet. Et contagiosam esse plicam et contagium ejus fixum esse constat. Saepe hic morbus propagatur: pileis, pectinibus etc. aegrotorum, plica Polonica laborantium; imo secundum Lafontanium infantium lactatione. Quo fit, ut coriarii, corarii aliique opifices Poloni caveant, ne animalium plica affectorum cutes emant et tractent.

### §. 13.

#### Diagnosis.

Morbi diagnosis, ut est facillima post plicam eruptam, ita ante ejus eruptionem difficillima. Con-

firmatur autem ab omnibus fere medicis Polonis, quemque nervosum morbum diuturnum, deinde affectionem medullae spinalis, arthritidem pertinacem, urinae turbationem permanentem, digestionis laesionem, organorum denique sensuum functionem debilitatam, nisi e praegressa eaque sat nota pendeant causa, plicae reconditae signum haberi posse certissimum.

#### §. 14.

#### Prognosis.

Sicut plurimorum vel omnium morborum, ita plicae quoque prognosis a gravioribus quibusdam momentis petitur, qualia sunt: morbi tenor major minorve, affectionum cum eo conjunctarum vehementia, aegroti constitutio magis minusve afflicta, complicatio denique cum aliis morbis seu levioribus seu gravioribus. Quam prognosin in stadio prodromorum propter multiplicia pericula cum plica conjuncta cum in universum dubiam appellare liceat, tum post ipsam quoque eruptionem dubia permanet, quia qui semel trichomate laborarunt facillime in eundem recidunt morbum, tum vero, quod non semper eruptione facta aegrotus a gravaminibus illis vehementibus et multiplicibus liberatur. Erit autem prognosis mala, cum cerebri affectiones permanentes et systematis nervosi et sensuum debilitas adsunt; pessima, cum viscerum abdominalium suppuratio, apoplexia, paralysis universalis etc. accedunt. Meliora habentur indicia prognostica sudores copiosi habituales, urina turbida, jumen-

tosa, erysipelas pedum periodicum, haemorrhoides modice fluentes. Plica ex contagione orta minus maligna esse solet, quam quae ex interiori totius corporis habitu et constitutione originem ducit.

§. 15.

Curatio.

Jam supra demonstravi, permultas causas esse singulares, in Polonos vim suam exserentes, quibus facilius in hunc morbum endemicum incidere soleant. Est igitur curationis prophylacticae, aegrotos sanandos sensim a rebus noxiis remove. Cui rei et alia obstant, et hoc maxime, quod homines plebeji in Polonia, quippe qui saepissime hoc morbo laborent, hac superstitione ducuntur, quasi plica a multis aliis morbis defendantur; itaque nihil negligunt, ut ipsa insitione hujus morbi participes fiant. Praeterea curatio ad diversa morbi stadia adaptari debet; unumquodque enim suam postulat medendi rationem.

§. 16.

De curatione in stadio prodromorum.

Cum suspicio exorta est plicam reconditam adesse, ante omnia medicus prohibere debet, quominus aegrotus aut capillos aut ungues sibi rescindat, vel crinibus pectinem adhibeat. Praecipiat diaetam ordinatam et aptam, imprimis ne caro porcina, pinguis edatur vetet, item carnis fumo siccatae, piscium, potus calorem nimis augentis, imprimis spiritus frumenti, musti aromatibus conditi et quae

sunt hujus generis usu, aegroto interdicat. Caveat aegrotus ne se refrigerio exponat; summaeque ei erit utilitati, regione, in qua hucusque versatus fuerit, relicta, in aliam, ubi plica non endemica sit, migrare. Excretiones irregulares idoneis restituendae sunt remediis, aliisque affectionibus localibus ad majus adauctis apta methodo est occurrendum. Adhibeantur balnea calida saponacea et sulphurosa, quibus remedia adjungas alvum ducentia, imprimis rhabarbarina, et post haec imprimis aloëtica, cum haemorrhoidum fluxum promoveri medici intersit. Praeterea diuretica, sulphurosa et omnia, opio excepto, fere narcotica praecipue Helleborus niger et Conium maculatum cum sulphure conjunctum, ut remedia saluberrima ad plicae eruptionem promovendam adhiberi debent. Hydrargyri usum internum nocere, Antimonii exiguam tantum vim contra plicam esse multi demonstraverunt medici scriptores. Omnibus vero, quae hactenus attulimus, remediis palmam eripit Vinca pervinca a Jos. Frankio maxime laudata, quippe quae vim tamquam specificam in morbum nostrum exercent. Formula vero, e qua porrigitur, haec est:

℞. Hb. Vinc. pervinc.  $\bar{\text{z}}\text{ijj}$   
 inf. c.

Aq. comm. ferv. libr.  $\text{ijj}$   
 stent in digestionem per noctem  
 buliat manè p.  $\frac{1}{4}$  h. cola.

**D. S. Decoct. nychthemeri spatium ebibendum.**

Revera hoc remedium laude est dignissimum atque spero fore, ut narratione, quam jam addere

liceat, hoc iudicium confirmetur. In vicinia patriae meae senex quidam spectatissimus et ab incolis hujus regionis magni aestimatus, paucis tantum monasterii monachis, regulae St. Bernhardi adscriptis, praeest. Ab omni alio negotio vacans et uni civium suorum saluti studens et quoquemodo consulens, multos jam annos in hoc morbo curando versabatur eo successu, ut fama ejus longe pervagata ducti ex remotissimis regionibus Poloni ad eum commigrarent, malis laborantes, quibus plicam reconditam ipsi supponant. Praeter diaetam, certo ordine et justa regula praescriptam — quam eo accuratius observant, quo majore viri illius reverentia ac religione tenentur — aegrotis certam plantarum diversarum, ex proxima domicilii regione amoenissima silvisque ornata, per aestatem ab ipso collectarum copiam tradit adhibendam, atque infusas in theae forma bibi jubet. Quarum pars primaria, quod mihi medicus patriae meae cum sene illo amicitiae vinculis conjunctus affirmavit, Vinca pervinca contineri dicitur, cui aliquid rad. gram. hb. Jaceae etc. admiscere, vel si hae non adsint nudam dare traditur. Ipse duos homines, plica aperta, quam hoc remedio illum provocasse dicebant, laborantes observavi. Maximam porro auctoritatem apud Polonorum gentem Lycopod. Selaginis est nactum, in ejus usu tamen propter drasticam ejus in tubum intestinalem vim et ob vomitum facile eo excitatum cautio adhibenda est. Itaque a medicis Polonicis saepius externe, tanquam fomentatio in capite usurpatur. Quem ad finem

Uva quoque ursi et alia hujusmodi medicamenta in usum vocari possunt. Cautio tamen est, ne plica justo vehementius proliciat, neque minus omnia evites remedia, quibus nimia succorum copia caput versus propellatur, ut capitis lotiones cum tinct. Cantharid., cum decocto Sinap. nigr. etc. Quae quidem congestio si fuerit orta methodo derivante, e. gr. pedeluviiis acribus, sinapismo vel vesicante suris impositis, hirudinibus ad tempora admotis, alvum ducentibus etc. minuenda est. Cum optimo successu etiam picem Burgund. et empl. de Galb. crocato juxta spinam dorsalem applicatum iri Frankius auctor est. Formula, quam sequitur, haec:

℞. Empl. Cantharid. ʒvi

Picis alb.

Galb.

Cicut.

G. As. foet.  $\widehat{aa}$  ʒj

m. f. empl.

S. secundum spinam vertebr. imponend.

Contra quando congestio ad plicae eruptionem non sufficit, haud negligenda sunt remedia eam augentia, ut rad. Lapathi acuti, Bardan., Gramin. Saponar. Taraxac., lign. Sassaphr., Guajac., Liq. amon. acet., Tart. stibiat. in refract. dos., Camphor., Moschus, etc.

### §. 17.

De curatione in stadio eruptionis.

Plicae eruptione, illius quam jam supra descripsimus materiae exsudatione incipiente, affectio inflammatoria, certe subinflammatoria capitis tegu-

mentorū percipi potest. Quodsi ea, quae cum eruptione conjuncta accedere solent, non magni sunt momenti, satius est perfectam plicae eruptionem naturae ipsi relinquere, nullis adhibitis remediis — id quod experientia nixus affirmare ausim — nullo autem modo, quando congestionem symptomata graviora sequuntur. Tum minor fructus ex methodo antiphlogistica large adhibita, ut venae-sectione, Nitro etc. sperandus est, quam ex sanguinis detractioe topica, hirudinibus ad tempora admotis et remediis antiphlogisticis levioribus. Neque exigua est methodi derivantis et imprimis pedeluviorum tepidorum utilitas. Si febris se adjungit, accurate ejus natura plerumque synochum exhibens observetur, et secundum vehementiae gradum remedia poscunt nervina, mox graviora mox mitiora; Serpent., Valerian., Arnic., Spirit. sulphur. aeth., Tinct. succin., Camphor., Mosch., Castor. etc. Usū sulphuris internum plerumque noxium esse contendit Chromius, id quod in omnibus fere aegrotis, suae curae commendatis, observasse ait. Laudat vero Lafontanius conjunctionem Sulph. stibiat. aurant. cum Camphora. Ad aliam febris naturam alia quoque curandi ratio adaptanda erit. Si aegrotus aut diuturno morbi spatio aut hac copiosa excretionē viribus valde exhaustus est, ad remedia, quae vocantur tonica, praecipue ad Chinam et leviora Ferri praeparata refugiendum. Si quae complicationes adsunt, earum singularem rationem habeat curandi methodus iisque accommodetur necesse est. Plica syphilide complicata Mercu-



rii quidem usum exigit, sed incipiendum est a praeparatis ejus mitioribus, ut Calomelane etc., effectu demum fallente ad efficaciora transeundum. Scrophulae morbo nostro conjunctae vix aliam quam ipsam plicae curam indicant; quae tamen peculiaris esse debet in scorbuti complicatione.

### §. 18.

#### Plica senescens.

Simulae plicae eruptione perfecta et quod exsudatio odorque peculiaris cessaverit et quod a sanis capillis plica solute pendeat, maturam eam factam esse liquet, sine ulla dubitatione ea abscindenda est. In quo tamen cave, ne caput majori calori assuefactum totius trichomatis repentina resectione refrigescat. Quare haec resectio non nisi cautim quatuor aut octo dierum spatiis interpositis, suscipi debet ita quidem, ut a peripheria ad centrum progrediamur. Partes dein capitis ab eo nudatas lanaxylina obtegi novosque capillos accrescentes aqua sapone Veneto, vel vino tepido permixta identidem per septimanam lavari jubeat medicus.

### §. 19.

#### De plicae resectione.

Ad plicam abscindendam forfice utaris, quae vulgo adhiberi solet. Aliae omnes rationes, a Polonis interdum in usum vocatae multisque medicis probatae, e. g. capillos inter laminas ferreas terendi vel massam trichomatosam ligandi, tanquam incommodae atque inutiles rejiciendae sunt. Cum vero

dubium est, siue plica jam matura annon, satius est abscisione abstinere, quam aegrotum summo exponere periculo, cum cura aptissime atque diligentissime instituta prohibere nequeat, quominus acerrimae calamitates et ipsa mors sequantur. Medicamenta huic rei accommodatissima eadem sunt, quae jam supra vim cutis vitalem promovere praedicavi. Pro certissimo vero medicamento, quo nova plica proliciatur, La fontanius insitionem commendat; ad quam perficiendam mitra hominis, plica adhuc humida atque immatura laborantis commodissime adhiberi potest. Ut vero crinium, ita unguium quoque resectionem tum demum audere licet, cum pro ungue morbofo novus planeque sanus apparuerit.

Ceterum supervacaneum duco de omnibus diversissimorum, qui plicam comitari vel sequi possint, morborum curandorum rationibus fusius hic disserere, praesertim cum prudentissimus quisque medicus certissime eam inventurus sit rationem, quae praesenti maxime conveniat statui.

### §. 20.

**De nimia pediculorum copia auferenda.**

Restat hanc molestiam attingere, qua non aegrotus solum valde cruciatur, sed omnes quoque, qui eum circumdant vel maximo afficiuntur taedio. Nimiam dico pediculorum copiam, qui perdurante exsudatione sub plica nidulantur. Ad quos enecandos Chromius commendat ungu. e pulv. sem. Sabad. cum butyro commixtum, vel inf. eorum ex-

terne adhibendum, item balnea simplicia vel cum sapone, furfuribus tritici et aliis mixta. Sed his omnibus anteponendum est Hydrargyr. vivum cum farina tritum, quod in pulverem redactum capiti inspergitur. Ulceribus exortis, stibii et conii maculati usum tum internum tum externum Lafontanius valde laudat; nec cataplasmata negligenda sunt e sem. Lycopod., hb. Jaceae etc. — Frankio placet emplastrum vel unguentum e Sulphure cum Conio maculato; Chromius lenem lapidis caustici solutionem ulceribus admovendam commendat.

### §. 21.

#### Morbi observatio.

His, quantum per vires licuit, expositis, ad morbi historiam, quam jam supra tetigi, transeo. Ne vero quis mirari velit, quod sine ullo fere medicamentorum adjumento rem egerim, haud absolum duco haec addere. In universum enim persuasum habeo, a violenta medendi methodo, quam fieri potest, plurimum abstinendum, aegroti constitutionem religiose observandum et nisi symptomatibus urgentibus ac periculo imminente naturae auxilium expectandum esse, ita quidem, ut illa, ubi ipsa exigat, adjuvetur.

Sartoris conjux, quadraginta tres annos nata, corporis constitutione satis robusta, parentibus omnino sanis nata, quos saltem nunquam a trichomate tentatos esse dicebat, ad puberem usque aetatem bona valetudine fruebatur. Anno aetatis quarto

decimo primum catameniorum fluxus intravit. Tribus mensibus post, cum nimis refriguerit, menstrua adhuc legitima, repente cessaverunt. Ex quo tempore per sex fere menses variis vexabatur doloribus, donec arte contigit, ut menstruatio restitueretur et aegrotata integris rursus viribus gauderet. Anno vicesimo sartori nupta usque ad annum quadragesimum sex illi liberos peperit, nec per graviditatis tempus nec in partu ipso singulare quid aut inconsueti passa. Cui cum quadraginta duos annos natae, quarto septimae graviditatis mense nuntius de patris morte subito allatus esset, adeo perculsa est, ut postridie abortum non difficilem faceret. Brevi quidem valetudine recuperata, tamen exinde cephalalgia laborabat permanentiore quam vehementiore, praecipue horis pomeridianis. Aegrotata ipsa eam non magni faciebat, sperans, se brevi ab ea liberatum iri. Sed cum magis in dies ea cresceret et tandem susurrus aurium vehemens, vertigo, photopsia, pectoris oppressio, anxietas aliaque signa, congestionem caput et pectus versus indicantia, accederent, medicus arcessitus est. Quibus omnibus ut occurreret, hirudines duodecim numero temporibus admoveri jussit, alvusque per triduum obstructa ut deponeretur, studuit. Quo facto capitis quidem congestiones et symptomata inde profecta minuta partimque sublata sunt; perseveravit tamen cephalalgia quamvis vehementia ejus fracta, quae summam diligentiam atque curam per quindecim illudebat dies. Atque cum aliae interea affectiones, quarum mox mentionem faciam, accederent, medi-

cum, quem morte praematura civibus ereptum valde doleo, suspicio invasit plicae reconditae; nec fefellit eum opinio. Cum me ad aegrotae lectum duxisset opinionemque suam mecum communicasset, equidem oblata occasione diligenter usus sum. Aegrota praeter vehementem illum capitis dolorem haec nobis quæsta est: appetitum depravatum, artuum lassitudinem, dolores migrantes in extremitatibus, praesertim inferioribus, oculorum dolorem, quasi grana arenosa oculos implerent. Maxime vero aegram cruciabat formicationis sensus per totum fere corpus, quem jam ex illo tempore, quo cephalalgia laboraret, interdum in extremitatibus, per aliquot dies autem secundum spinam vertebrarum et ex hesterno die in toto fere corpore sentiret. Itaque ne capillos pecteret neve ungues abscinderet vetuimus. Cum periculum nullum ostenderetur, medicus nullo medicamine interno et soli naturae ut plicam provocatura sit confidere decrevit. Aegrotam eandem per duodecim circiter dies valetudinis conditionem retinentem, cum quotidie viscerem neque abnorme quid, nisi majorem quandam tegumentorum sensibilitatem animadverterem, duodecimo denique die, cum jam vesperascebat, de majore quæsta est cephalalgia et peculiari quadam capillorum ipsorum sensibilitate dolorifica, ubi paullo gravius attingerentur. Itaque sine mora capitis investigandi causa eam a mitra arcta adhaerente et ponderosa liberari jussi. Tegumentorum tantam inveni sensibilitatem, ut quam levissimus eorum tactus acerbissimos excitaret dolores, quorum

se, cum plures capillorum fasciculi vel gravissime comprimerentur, modo ne capitis cutis incaute distorqueretur, plane expertem esse affirmabat. Nec tamen nego, periculo hujus rei vel cautissime instituto aegram sensum quendam ingratum percepisse, ex eo ut mihi videtur profectum, quod ne diligentissima quidem cautione, singulis capillorum fasciculis resistantibus, pressus quantuluscunque in capitis cute evitari potuerit. Quod verum esse inde colligo, quod aegra, si vel vehementissime unum tantum vel duos capillos caute premerem, nulla omnino doloris dedit indicia. Plicam igitur mox erupturam expectans postridie cum Mühlmannio Doctore ad aegrotam me contuli. Neque conjectura nos fefellerat. Nam aegrotam cum dolores capitis, priores multo excedentes, usque ad primas post mediam noctem horas auctos fuisse et ex matutino tantum tempore paullulum sedatos esse nobiscum communicasset, parvam occipitis partem magnitudine nummi quatuor grossorum deteximus, in qua viscidae et male olentis materiae exsudatio prorumpibat. Quo factum est, ut capilli exsudationis loco proximi et vicini conglutinari coepissent. Quae exsudatio molestias graviores non provocans, cum paullatim incrementum caperet, neque minus copia quam ambitu accresceret, medicus ne sic quidem medicinam adhibendam censuit. Neque rei prosper defuit successus. Quo major enim et crassior inter aliquot hebdomadam spatium plica facta erat, ita ut maximam occipitis partem obtegeret, eo magis aegrotam cephalalgia ceterisque affectionibus li-

berata est. Plicam, cum aegrota abscindi valde cupe-  
ret, id propter hoc denegavit medicus, quod trichomate  
occipiti adhuc arcte adhaerente, non satis explorari  
posse diceret, num qua capitis pars esset, in qua  
exsudatio adhuc fieret. Quae quidem suspicio eo  
probabilior erat, quod aegrota, quamvis rariorem  
mitioremque, regredientem tamen cephalalgiam  
questa est. Duobus mensibus praeterlipsis, cum  
aegrota integra gauderet valetudine, medicusque pli-  
cam jam maturam factam esse cognosceret, nihil  
tenet, quin eam temporis spatio hebdomadam qua-  
tuor caute forfice abscinderet et loca capitis nudata  
lana obtegi juberet xylina.

Plures abhinc hebdomades, per quas aegram  
observandi copia mihi fuit, status ejus optimus ma-  
nebat.

---

## V I T A.

---

**E**go Josephus Littauer, patre optimo Ignatio, matre carissima Joanna e gente Wiener, quibus adhuc superstitionibus gaudeo, anno hujus saeculi quinto, Lobsentiae, oppido Posnaniensi, natus et veteri fidei addictus sum. Prima literarum rudimenta scholis privatis edoctus, anno MDCCCXXIII Vratislaviam me contuli, ibique Gymnasium Fridericianum, quod auspiciis Ill. Kannegiesser florebat, per quinque annos frequentavi. Examine maturitatis superato, inter cives Universitatis literariae Vratislaviensis ab Ill. Trevirano, t. t. Rectore magifico, die XXII, Decbr. MDCCCXXVII. receptus et ab Ill. Purkinje t. t. Decano gratiosi medicorum ordinis spectabili medicinae studiosis adscriptus sum.

In hac alma literarum sede his clarissimorum virorum scholis interfui: Ill. Schneider de Platonis civitate; Ill. Wachler de historia universali, et civili et literaria; Ill. Thilo de logice; Ill. Trevirani de Botanice plantarumque Physiologia; Ill. Goepfert de officinarum plantis, eumque in excursionibus botanicis ducem secutus sum; Ill. Glöcker de Mineralogia; Ill. Frankenheim de Physice; Ill. Steffens de Optice; Ill. Fischer de Chemia et anorganica et organica, quum universali, tum pharmaceutica, de Reagentibus; Ill. Trevirani de Botanice, eoque duce gavisus sum in excursionibus botanicis. Ill. Henschel de Encyclopaedia studii medici, de Physiologia botanica, ejusdem demonstrationibus botanicis interfui. Ill. Otto de Anatomia corporis humani tum theoretice tum practica, de Anatomia comparata et pathologica, de Zoologia, Osteologia et Syndesmologia, de Historia foetus, de sectionibus forensibus rite instituendis disserentem audivisse laetor. Ill. Purkinje t. t. gratiosi medicorum ordinis decani spectabilis de Physiologia hominis nec non de Physiologia experimentalis scholis interfui. Ill. Remer scholas de Therapia speciali morborum frequentavi et ex illis summos fructus percepi; semper humanitatis et benevolentiae memor ero, qua tironem aggressum ad aegrorum lectos adjuvit. Ill. Wendt de febribus et inflammationibus, de morbis ex laesa nutritione et ex laesa nervorum actione oriundis, de syphilide egregie verba fa-



cientem me audivisse laete confiteor. Ill. Betschler artem obstetriciam mihi exposuit et in clinico, cui praeest, obstetricio mihi dux fuit benevolentissimus. Ill. Benedict me docuit Chirurgiam generalem et specialem, Ophthalmiatricen, doctrinam de fasciis et instrumentis chirurgicis. Interfui operationibus eo duce in cadaveribus institutis, in clinico chirurgico, quod per annum unum et dimidium adire mihi contigit, praeceptor mihi fuit et moderator. Ill. Lichtenstaedt de materia medica, de ratione formulas medicas rite concinnandi; Celsum etiam mihi interpretatus est. Exp. Remer filius, de Syphilide, isque in clinico medico, quod floret sub patris dignissimi auspiciis, mihi dux fuit benevolus.

Mense deinde Majo anni praeterlapsi universitatem literariam Berolinensem adii, ubi ab Ill. Marheineke t. t. Rectore magnifico civibus academicis et ab Ill. Beato Rudolphi t. t. Decano in civium academicorum numerum receptus sum. Usus sum clinicis Illustrissimorum Rust, de Graefe, Juengken et Wolff.

Quibus praeceptoribus omnibus, viris illustrissimis, doctissimis, gratias, quas habeo maximas, et debeo et ago.

Jam vero rite tentatus et examinatus, dissertatione thesibusque defensis spero, fore ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

---

## T h e s e s.

---

1. *Haemoptysis non morbum, sed morbi symptoma exhibet.*
  2. *Scirrhus non ex inflammatione.*
  3. *Pulsus ad cognoscendos morbos signum minus certum est, quam haberi solet.*
  4. *Causa praedisponens plus valet ad morbos procreandos quam causa occasionalis.*
  5. *Phthisis vera non ex pneumonia originem ducit.*
  6. *Existit certe mania occulta.*
  7. *Vulnera absolute lethalia non existunt.*
-